

ORATIO.

QUAMQUAM Vos, EMINENTISSIMI PATRES, in magno adhuc mœrore, quem, pro Veſtra erga Benedictum XIV. Pontificem Summum pietate, ob ejus ex hac vita migrationem ſuſcepiſtis, verſari cognoſco; ſimul tamen ſentio, in alia Vos defixos eſſe cogitatione ſane moleſta, quæ animos Veſtros graviter angit, habetque vehementer ſollicitos. Videre enim Vos videor ita triſtes, conturbatoſque; ut vultu ipſo, qui imago animi, & ſermo quidam tacitus mentis eſt; quo in metu ſitis, & quanto in periculo eſſe intelligatis, aperte indicetis. Nam qua prudentia, & religione eſtis, animadvertitis; mox aggreſſuros Vos eſſe negotium longe graviſſimum, magnis difficultatibus implicatum, & periculis multis obnoxium. Ex quo factum eſt, ut quamvis Vobis omnia, quæ ad Romani Pontificis electionem pertinent, cognita, atque perſpecta ſint, eaque animis tamquam oculis quodammodo perluſtretis: quo illa magis tamen in Veſtris mentibus inhæreſcerent, etiam

Digitized by Google

auribus accipienda, & dicentem, atque admonentem, more, inſtitutoque majorum, audiendum decreveritis. Verum, pace Veſtra dixerim, in hoc a Vobis peccatum eſt; quod ad hominem indiſertum, & jamdiu dicendi inſuetum provinciam hanc detuliſtis. Niſi forte Vobiſcum reputaſtis; Epiſcopum, & officii ſui non immemorem fore, & ab omni vel leviſſima aſſentandi ſuſpicione abfuturum, & hoſpitem præterea ſine cujuſquam offenſione liberius apud Vos, quemadmodum exoptatis, locuturum. Utcumque tamen res cadet, teſtificabor, me Veſtro juſſui obtemperaſſe; cum non parere nefas eſſe duxiſſem. Quamobrem Vobiſcum mihi communis erit noxa; ut ſi ſuſtinere tantam orationem non potuero, injuſti oneris impoſiti veſtra culpa ſit, mea recepti. Quod ſi longior fuerit oratio, cum negotii magnitudine comparetur; ita fortaſſis etiam brevior videbitur.

Itaque Sanctiſſimo Jeſu Chriſti nomine invocato, duo hæc, quorum alterum ex altero coſequitur, perſequemur. Primum: Romano Pontifici onus longe maximum eſſe ſuſtinendum, multoque gravius, quam quod plerique arbitrantur. Alterum: maximam a Vobis diligentiam, & circumſpectionem adhibendam eſſe, ut tanto ferendo oneri aptiſſimus conſtituatur.

Ad primum aggrediamur. Quidnam in cauſſa fuiſſe cenſetis, cur quidam noſtra ætate, multi patrum, plures majorum noſtrorum memoria exſtiterint, qui ab hac celſiſſima dignitate etiam ultro ſibi delata ita refugerent, ut illam niſi inviti & recuſantes, ac propemodum coacti non ſuſceperint? Nihil aliud,

aliud, opinor, quam quod illos oneris magnitudo, qua opprimi ſe, atque obrui metuerent, admodum perterreret. Ac ſi quis id eorum modeſtiæ tribuere velit; ipſam ego animi moderationem, qua Viri illi ſummi ornati erant, effeciſſe dicam, ut oneris hujus gravitatem ſatis firme conceptam animo, atque comprehenſam haberent. Nam ita natura comparatum eſt: ut quorum animi omni cupiditate carent, eorum mentes, quid in unaquaque re verum, ſincerumque ſit, clarius circumſpiciant. Neque quiſquam ſane aliter hac de re judicare poterit, qui animadvertat; quantum ſit, & quam latè pateat ovium paſcendarum munus a Chriſto Domino Sancto Petro aſſignatum [1]: quod ipſum quidem ſine ulla contradictione ad Romanum Pontificem tranſire credimus, Sancti Petri ſucceſſorem, atque hæredem. Muneris hujus partes, ſi Sanctos Eccleſiæ Patres audiamus, cum numerare difficile eſt, tum vero explere longe difficillimum. Nam paſcendi verbo plurima continentur, quæ niſi cuncta ſpiritualis Paſtor præſtiterit; oves Chriſti numquam paſcere dicetur. Ea omnia tamen ad duo hæc ſumma capita commode redigi poſſe videntur: nimirum ad Fidem Catholicam tuendam, & ad cuſtodiendam Eccleſiaſticam diſciplinam: quandoquidem, ut Sanctus Nicolaus I. ſcripſit [2]: *In Fide & bonis operibus lex Chriſtianornm ſubſiſtit*. Et primam quidem Pontificii muneris partem Sancto Petro, atque adeo ejus ſucceſſoribus ſpeciatim a Chriſto Domino mandatam fuiſſe legimus in Evangelio [3]: *Ego*

(1) Apud S. Johan. cap. 21.
(2) In reſponſ. ad Bulgar.
(3) Apud S. Luc. cap. 22.

rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Quo ex loco, quemadmodum Sancti Petri, ejuſque ſucceſſorum fidem nunquam defecturam intelligimus: ita ex eo cognoſcimus, inter Romani Pontificis partes eam eſſe præcipuam, ut Catholicam Fidem, quantum maxime poſſit, tueatur. Ac priſcis quidem Eccleſiæ temporibus, cum Ethnici Divinam religionem inſectarentur, expeditiſſima, & quaſi compendiaria patebat via, qua Romani Pontifices officium hoc ſuum perſolverent; ſanguinem pro Catholicæ Fidei defenſione profundendo. Nunc autem cum martyria inferri jam deſitum ſit: quia tamen bella contra Fidem non reſtincta, ſed etiam inflammata eſſe videntur; ejus tuendæ ratio alia ineunda eſt: qua etſi corpus tormentis non afficiatur, animus certe curis conficitur. Nullis enim neque cogitationibus, neque moleſtiis, neque laboribus Romanum Pontificem parcere oportet, ut provideat, nequid Catholica Fides detrimenti accipiat. Namque & Hæretici illam aperte petunt; & ex Catholicis ſunt nonnulli, utinam pauci eſſent, qui cuniculis ipſam oppugnant. Utrorumque conſilia, quamvis res difficultates habeat plurimas, præripere debet, ac perfringere Romanus Pontifex. Sua quippe vehementer intereſt, ut ad Eugenium III. Sanctus Bernardus ſcribebat [1]: *Dare operam, quantum poſſit, ut increduli convertantur ad Fidem, converſi non avertantur, averſi revertantur, ſubverſores invictis rationibus convincantur.* Ac ſi umquam fuit tempus, quod Romani Pontificis in tuenda Fide vigilantiam

(1) Lib. 3. de conſid. cap. 1.

Digitized by Google

tiam poſtularet, hoc quidem vel maxime flagitat: cum jam illud veniſſe videatur, quod Apoſtolus futurum prædixerat [1]: *Cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus*. Quinimmo valde metuendum eſt; ne occulte ſerpere contingat, longiuſque in dies progredi teterrimam quamdam hæreſim, quæ Divinam Religionem funditus conatur evertere. Quapropter ſingularem vigilantiam ab eodem Apoſtolo, Dei nomine imperatam, nunc potiſſimum adhibendam Romanus Pontifex perſuaſum habebit, ſibique proprie dictum reputabit [2]: *Tu vero vigila, in omnibus labora, miniſterium tuum imple*.

Sed quoniam *Majorum canonica ſtatuta*, ex ſancti Zoſimi ſententia [3], *veluti quædam fundamenta ſunt ferendis Fidei jacta ponderibus*: iccirco Romanus Pontifex in Fide tuenda, haud multum proficeret; niſi ſimul maxima ab ipſo ſuſciperetur cura, atque cogitatio Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſi viget, confirmandæ, ſi collapſa eſt, reparandæ: quod eſt alterum, quod ad Chriſti paſcendas oves maxime pertinet. Laborioſiſſimi hujus officii partes, quas permultas eſſe perſpicuum eſt, ſi ſingulas exponere velim, dies me deficeret. Nonnullas breviter attingam, quæ in Magiſtratibus mandandis, in deferendis Sacerdotiis, & in moribus corrigendis deſiderari non debent. Quibus negotiis tamen nequaquam ſatis conſuluiſſe ſe Romanus Pontifex putare debebit; ſi in præſcribendis crebro legibus, quas ad indomitas, & effrænatas hominum cupiditates deteſtandas magis, quam coer-

(1) 2. ad Timoth. cap. 4. (2) Id. ibid. (3) Epiſt. ad Epiſc. African.

cendas valere, ſæpe jam experti ſumus, ſtudium ſuum omne, operamque poſuerit. Remedia illi quærenda ſunt, eaque actuoſa; quibus vitia, quæ uſu quodam invaluiſſe videntur, extirpari, atque funditus tolli poſſint. Itaque in committendis Magiſtratibus; ubi providerit, ne qui illos capiunt, prædæ loco accipiant: neve judices, ijque præſertim, qui Eccleſiaſticis quæſtionibus ex toto Orbe ad Sedem Apoſtolicam confluentibus præſunt, improbis quibuſdam procuratoribus obſecundent; ſed eorum colluſionibus, & prævaricationibus obſiſtant: ſi quid forte, ut ſunt humana, ſecus evenire deprehendatur; ea medicina erit adhibenda, quæ morbo imbecillior non ſit, ne aliquando recrudeſcat. At multo difficiliores ſunt Romani Pontificis partes in Sacerdotiis deferendis. In quo illud imprimis fixum in animo ſuo tenebit: Sacerdotia voluntati ſuæ non eſſe ita permiſſa, ut pro ſuo arbitratu illa diſponere poſſit, quoquo modo ſibi libitum fuerit [1]: ſed Jure Divino ad ea eligendos eſſe viros ampliſſimos, vitæ integritate ſcilicet, & ſacrarum litterarum ſcientia maxime præſtantes. Ex quo etiam intelliget, ipſius Juris Divini vi aſtringi ſe, ut antequam quibuslibet Sacerdotia conferat, ſingulorum in Eccleſiam merita diligentiſſime expendat; ut ex iis, quos cœteroquin idoneos judicaverit, digniores ſeligere poſſit: & quo majora deferenda erunt Sacerdotia, eo majorem adhibebit curam, animi attentionem, vigilantiam, cogitationem, laborem, atque ut omnia uno complectar verbo, diligentiam: quam nimiam numquam putabit; ne quando eveniret,

(1) Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reform. cap. 1.

Digitized by Google

ret, ut qui minus digni ſunt, in Eccleſiæ adminiſtrationem aliquando irreperent. Ad quod quidem periculum evitandum proderit plurimum; ſi tum domeſtica, tum externa quoque conſilia ab iis capere inſtituat, qui duabus illis virtutibus polleant, quas in diſpenſatoris perſona Chriſtus Dominus requirebat, fide, & prudentia [1]: caveatque, ne aures umquam aſſentatoribus patefaciat; qui non modo ad ſenſum, & voluntatem, ſed ad vultum etiam atque nutum omnia loquuntur, nihil ad veritatem. Hominibus iſtis fallacibus omnino nunquam utetur. Proderit multum quoque tum in hac, tum in cœteris rebus; ſi, quemadmodum ab omni acceptionis perſonarum vel minima ſuſpicione longiſſime ipſe abhorrebit; ita miniſtros ſuos ab hoc deteſtabili vitio alienos eſſe juſſerit. Quod neque in illis jure exprobari poſſe patietur, quos pecuniæ in pauperes erogandæ præpoſuerit: ne eorum perverſitate fiat, ut alius eſuriat, alius autem ebrius ſit, atque egentiſſimi quique negligantur. Multo vero magis quibus Beneficiorum diſpenſationem crediderit, ut ab hac animi pravitate vacui ſint, atque integri, ſtudioſe, diligenterque curabit. Nam perſonarum acceptione non ſolum juſtitia, quam diſtributivam vocant, prorſus excluditur, omniſque adeo tollitur delectus dignitatis; ſed etiam peſtis quædam funeſtiſſima importatur Eccleſiæ, ex qua detrimenta plurima capit. Sed locum hunc quamvis longe lateque patentem amplius urgere per tempus non licet; ſi de morum reformatione pauca quamvis properando percurrere velim. In qua quantum

(1) Apud S. Luc. cap. 12.

Digitized by Google

tum deſudare, ac elaborare neceſſe ſit, jam olim Romani Pontifices ſenſerunt. Nam Sanctus Innocentius I. *Continuis laboribus omnes Eccleſiæ maculas abſtergere* ſuum eſſe ſcripſit [1]. Et Sanctus Xiſtus III. *Non parum oneris non parum laboris* ſibi impoſitum eſſe dicebat, *ut Eccleſiæ Domini macula deſit*, *&* *ruga* [2]. Sed multo majore nunc onere, & labore Romanum Pontificem premi fatendum eſt: quippe qui non maculis ſolum Chriſtianam diſciplinam aſperſam conſpicere, verum etiam iſta deformatam, & ſauciam lugere cogitur; ut ejus veram ſolidamque effigiem vix recognoſcere poſſit, Nam *conſenſere jura peccatis*, *&* *cœpit licitum eſſe*, *quod publicum eſt*: quinimmo *religioſa* quodammodo *delicta facta ſunt* [3]: propterea quod *diſperſi ſunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum* [4]. Tanta denique malæ conſuetudinis corruptela eſt, ut deflenda nobis magis, quam exponenda eſſe videatur. At Romano Pontifici non ſolum ea dolenter deploranda eſt; ſed etiam omnibus viribus depellenda, atque radicitus evellenda. Ubi itaque *in omnibus ſeipſum præbueris exemplum bonorum operum in doctrina*, *in integritate*, *in gravitate*, *verbum ſanum*, *irreprehenſibile* [5]: tum vero vias omnes perſequi debet, quibus, qui exemplorum auctoritate ad ſervandam diſciplinam adduci non poſſunt, compellantur inviti. Quamobrem ſuſcipiendæ cogitationes, adhibendæ curæ, ſubeundæ moleſtiæ, labores obeundi, adeunda pericula, omnia experienda, tentanda omnia; ut incommoda, quibus Catholica Fides, & Chriſtiana diſciplina

(1) Epiſt. 32.
(2) Epiſt. ad Johann. Antioch.
(3) S. Cyprian. ep. 1.
(4) Thren. cap. 4.
(5) Ad Tit. cap. 2.

Digitized by Google

plina vehementer affligitur, propulſentur, removeantur, aut certe diminuantur. Neque ſane apud Deum excuſari ſe arbitretur, quod illa fortaſſe non reſciverit. Nam quæ ſui quiſque officii ratione ſcire tenetur, ea ſine culpa ignorare non poteſt: atque ut Sanctus Gregorius Magnus dicere ſolitus erat [1]: *Non eſt excuſatio Paſtoris, ſi lupus oves rapiat, & Paſtor neſciat*. Inter incommoda vero, quibus nunc maxime urgetur Eccleſia, illud tacitus nullo modo præterire poſſum; quod quanto magis in dies ingraveſcit, tanto majorem poſtulat Romani Pontificis providentiam. Nam quatenus ſpiritualia Jura labefactata ſint, atque depreſſa, incredibile dictu eſt! Ac præterea procellæ quædam calamitoſiſſimæ impendent: quibus niſi prudenti conſilio celeriter ſubveniatur, vehementer verendum eſt: ne noſtra hac ætate Eccleſia Romana ea privilegia perdat, quæ tot ſæculorum decurſu nunquam amiſit.

Videtis, EMINENTISSIMI PATRES, Romani Pontificis graviſſima onera a me potius adumbrata fuiſſe, quam expreſſa; quorum Vos magnitudinem mente, & animo jam ante concepiſtis: novi enim intelligentiam Veſtram; qua fretus, brevius diſſeram, quam cauſſa deſideret, de diligentia, & circumſpectione a Vobis adhibenda, ut ad tanta ſuſtinenda onera aptiſſimus deligatur: quod eſt alterum, de quo principio dicere propoſueram.

Quamvis vero in perquirendo, ac inveſtigando quibus quiſque virtutibus ornatus ſit, diligentia Veſtra omnis verſari debet: *Ut in electione ejus, qui ſupra*

(1) Lib. 3. epiſt. 53. & refertur in cap. 10. de regul. juris.

pra omnes gradus conſtituitur, *non erretur*: quemadmodum Sacra Tridentina Synodus animadvertit [1]: non ego mihi ſumo tamen, ut ſigillatim virtutes omnes, quæ in eo, cui Pontificum onus imponendum eſt, requiruntur, exponam. Id enim præterquamquod & longi temporis, & magnæ arduæque cogitationis indigeret, videri poſſet ſupervacaneum. Vos ſiquidem in plurimis Pontificibus Summis vitæ ſanctitate illuſtribus inſignium factorum exempla tamquam in ſpeculo inſpicienres, & a ſingulis non ſingularum ſolum, ſed plurium etiam virtutum argumenta colligentes, Romani Pontificis expletam, atque perfectam imaginem, multoque expreſſiorem, quam ego verbis effingere poſſem, Vobis proponitis; ac ut verius dicam, a Deo vobis jam propoſitam intuemini in Viris illis Sanctiſſimis. Nam quod Moyſi Deum, cum vetus Tabernaculum extruendum eſſet, impetaſſe legitis [2]: *Inſpice*, *& fac ſecundum exemplar*, *quod tibi in monte monſtratum eſt*: idipſum exiſtimare debetis, in hac ſpiritualis Tabernaculi conſtructione, a Deo unicuique Veſtrum imperari: *Inſpice*, *& fac ſecundum exemplar*, *quod tibi in monte monſtratum eſt*. Quod quidem exemplar non ſolum *in montibus ſanctis* [3]: hoc eſt in iis Pontificibus Summis, quos & res præclare geſtæ; & vita integerrime acta commendavit, a Deo Vobis monſtratum eſt; ſed multo clarius etiam oſtenſum *in monte illo excelſo*, *& eminenti* [4] Jeſu Chriſto Dei Filio; *quem habemus Pontificem magnum*, *qui penetravit Cælos* [5]. Et quemadmodum

(1) Seſſ. 24. de reform. cap. 1.
(2) Exodi cap. 25.
(3) Pſalm. 86.
(4) Ezechiel. cap. 17.
(5) Ad Hebr. cap. 4.

Digitized by Google

dum *talis decebat*, *ut nobis eſſet Pontifex ſanctus*, *innocens*, *impollutus*, *ſegregatus a peccatoribus* [1]: ſic profecto oportet, Vos, qui æterni Pontificis hujus Vicarium deſignaturi eſtis, tota mente, atque animo exemplar hoc intueri, & contemplari, atque Sacerdotem Summum ad hanc regulam quam maxime quærere. Quamvis vero fieri non poſſit, ut quiſquam eligatur, qui non *circumdatus ſit infirmitate*; *& propterea debeat quemadmodum pro populo*, *ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis* [2]. Vos tamen eniti, & efficere debetis: ut Pontifex Summus a Vobis renunciandus, in eo certe ſimilis Filio Dei dici poſſit, in quo Sacerdos Melchiſedech ab Apoſtolo *aſſimilatus Filio Dei* dictus eſt [3]. Licet enim parentes habuerit Melhiſedech, & vitæ initium, atque finem; quia tamen in Scripturis Sacris nihil de parentibus, nihil de ortu, atque interitu ejus proditum eſt; iccirco *ſine patre*, *ſine matre*, *ſine genealogia*, *neque initium dierum*, *neque finem vitæ habens* inducitur ab Apoſtolo; & in hoc *aſſimilatus Filio Dei* dicitur: quæ quidem *ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt* [4]. Etenim parentum genealogiæ, & vitæ curſus nomine quæcumque ad humanas cognationes, atque neceſſitudines; ad mundana præſidia, & ornamenta; ad fluxæ hujus, & caducæ vitæ commoditates, & emolumenta pertinent, ſignificantur. Cum Vos igitur, EMINENTISSIMI PATRES, Apoſtolicis verbis adhortamur, ut Pontificem Summum eum eligatis, qui ſit *ſine patre*, *ſine matre*,

(1) Ibid. cap.7.
(2) Ibid. cap. 5.
(3) Ibid. cap. 7.
(4) Ad Roman. cap.15.

matre, ſine genealogia, qui neque initium dierum, neque finem vitæ habeat [1]: hoc ita accipere debetis: Ut cum ad ineunda ſuffragia ventum erit, nihil carni, nihil ſanguini, nihil propinquitati, nihil amicitiæ tribuatis: Ut moveatur nemo proprio aut alterius cujuſcunque commodo; neque accipiendorum beneficiorum ſpe, aut acceptorum remunerandorum voluntate; neque ineundæ gratiæ aut referendæ officio; neque ſæcularibus Principibus obſequendi ſtudio, eoſve ſibi devinciendi cupiditate. Sed, ut in ferendis ſuffragiis unuſquiſque Veſtrum aliud nihil niſi DEI HONOREM, ET GLORIAM; RELIGIONIS CULTUM, ET INCREMENTUM; ECCLESIÆ COMMODA, ET UTILITATEM COGITET; idque unum ſpectetis omnes, & rectis ſtudiis, communique ſententia contendatis: Ut EXSURGAT SACERDOS, QUI NON SECUNDUM LEGEM MANDATI CARNALIS FACTUS SIT, SED SECUNDUM VIRTUTEM VITÆ [2].

Hæc autem dum loquor, EMINENTISSIMI PATRES, omnium ora, atque oculos in Vos video eſſe converſos. Norunt enim Vos eſſe illos, *qui lucetis tanquam luminaria in mundo* [3]: veteriſque illius Vos Romani Cleri, quem *florentiſſimum* Sanctus Cyprianus appellabat [4], perſonam gerere; atque eorum Vos locum tenere; *quorum Fides Apoſtolo prædicante laudata eſt; ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum* [5]: *quarum laudum & gloriæ degeneres eſſe maximum*

(1) Ad Hebr. cap.7.
(2) Ad Hebr. cap.7.
(3) Ad Philipp. cap.2.
(4) Epiſt. ad S. Cornel.
(5) S. Cypr. Epiſt.65.

Digitized by Google

ximum crimen foret [1] : quia Sanctus Paulus *dum parentes laudat*, *filios provocabat* [2]. Quæ quidem ſpem nobis magnam facere debent; fore ut Vos, abjecta omni cunctatione, Paſtorem bonum, a Deo electum, *qui animam ſuam* det *pro ovibus ſuis* [3], ſuffragiis Veſtris quamprimum renunciantes, *Eccleſiæ* Matris, *quæ* filiorum ſuorum *ruinas plangit lacrymas tergeatis* [4].

Itaque fiet, ut quod ad Honorium Imperatorem ſcripſerunt Presbyteri illi Romani ſeptuaginta, qui Sanctum Bonifacium I. elegerant, Vobis quoque, qui eorum Succeſſores eſtis, hoc idem vere dicere liceat: QUEM DEUS JUSSIT, ELEGIMUS. [5]

FINIS.

(1) Epiſt. Cleri Rom. ad S. Cyprian.
(2) S. Cyp. Epiſt. 87.
(3) Apud S. Johann. cap. 10.
(4) S. Cyprian. Epiſt. 10.
(5) Epiſt. Cleri Rom. ad Honor. Imperat.

5833242

162

Digitized by Google